



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Dictamina Seu Scita Variæ Doctrinæ, Politicæ, Moralis,
Stoicæ, Christianæ, & Spiritualis**

Nieremberg, Juan Eusebio

Paderbornæ, 1711

Decas V.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50306](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50306)

40. Non ideo reputes bonum esse aliquid, quia cupidè ambiisti: nam sæpiùs per jacturam implentur vota, & felicitas procuratur illusa cupiditate. Noli credere affectibus tuis: uti fallunt judicantem, ità confundent eligentem. Agendorum omnium regula & gnome Ratio est: hac amissi æquabis omnia.

DECAS V.

41. Res mundi hujus jam eò vilitatis processerunt, ut careant splendore etiam fucato, imò vix habeant, unde fallant. Majoris proinde pretium operæ est, generosè illas despiciere, quàm, quod solemus, sollicità industriâ procurare.

42. Vita nostra peccanti mors est: non peccanti nox: felici hora unica; infelici sæculum: speranti somnium: virtuoso vita, ast fortunato brevissima, misero longa. Tempus, quod citissimè labitur, jucundissimum est.

43. Compendio quodam molestias vincit, qui facilè tulit. Ejusdem scientiæ est pati & vincere: utrumque patientia docet, cui se incassum telis omnibus opposuerit fortuna. Discendo pati dediscimus miseriam.

44. Quemadmodum sensus omnes præsupponunt contactum, ita virtutes reliquæ patientiam: absque hac orphana erit virtus omnis, imbecillis, imò nulla: indè enim velut ex gremio, ac nido nascitur omnis operatio virtuosa.

45. Vis leniùs sentire, quod premit graviùs? applica voluntatem, id est, ferto libenter. Imminuit gravissima, qui sæpiùs tulit: ferendo attenuantur mala. Non solum prudentia, sed & patientia plurimum experientiæ debet.

46. Assuesce paucis contentus vivere, & ditabis te pretio virtutis, eritque solatio, quod aliis solet esse calamitati. Egestas enim non est virtus, sed amor egestatis. Illa gemit deesse aliquid, iste gaudet se plurimis non egere.

47. Qui paupertatis amicus non est illi paupertas est hostis infensissimus. Omnia malorum genera in odientem effundit: nam præter ea, quæ habet sibi agnata, insuper instruit ad patranda majora. Non est malum, quod necessitas non attentet, detergens omnem ruborem virtutis, & excutiens verecundiam audendi.

48. Di-

48. Divitiæ de se malæ non sunt, sed contemptibiles, & periculosæ: solus usus eas honestare potest. Res optimæ absque usu suo pessimæ fiunt. Quantis usibus apertus est ignis! at pyrio junctus pulveri, quæ non mala conciliat? Affectu nostro operamur vitiamus, usu restituimus. Si vis, instrumenta virtutis sunt, aut manubria vitiarum.

49. Pessima quæque patrârit aurum nisi in manus bonas reciderit: tunc solum bonum est, cum alienatur. Ut proficit domino, suo, dimittendum est: servatum pessimè nocet. Quamquam dubitem, uter plus laudis mereatur; qui accipit, an qui donat?

50. Opulentiam Bion appellavit vomitum fortunæ: quasi ructaret, quod nimium est, vel rejiceret, quod vile. Quemadmodum enim, quod cum violentia regurgitamus, impurum est, ita quod fortuna donat, infidum.

DECAS VI.

51. Alienum reputa, quidquid bonorum mundus habet, aut pollicetur: undantaxat virtuti propria est fortuna. Ne dixeris: